

mari Jdcirco ego arnolphus publice protestor et notum facio omnibus euidenter me bona mea omnia videlicet tres attungos cum dimidio. duodecima tamen parte minus cum domibus et aliis pertinenciis omnibus in villa litla wllawi sita. et quartam partem attungi Jn skeggiathorpascogh pro ducentis septuaginta marchis denariorum titulo pure vendicionis ecclesie lincopensi tradidisse et per legitimas fæstas secundum morem patrie in perpetuum assignasse consensu vxoris mee Jngo. et liberorum meorum nichilominus accedente huiusmodi vendicionem sic pure factam impetendi rescindendi siue retractandi quouis adinuencionis ingenio michi. eisdemque vxori et liberis siue aliis meis heredibus adempta penitus facultate. quam eciam vendicionem ex parte ecclesie. discreti viri. domini. magnus et agmundus canonici. jngeuastus et suno prebendati ibidem acceptauerunt. presentibus viris fidedignis ad hoc vocatis specialiter et rogatis scilicet nicolao de stangh laurencio thorisson hennichino kampa. nicolao kallansson. andrea gertrudis. rangwaldo mættobonda, andrea et thýrberno quorum sigilla vna cum meo et domini kanuti folkason et ciuitatis lincopensis instanter peto presentibus apponi in testimonium firmissimum premissorum Hac condicione prenexa quod si predictum factum impeti contigerit uel infringi. bona mea alibi eque bona predictæ ecclesie ad complementum debitum assignabo Datum in sacristia maioris ecclesie Anno domini Millesimo CCC XXX<sup>o</sup> nono jn die purificationis beate marie virginis.

*Allmän öfverskrift:* De bonis ecclesie.

**3412.**

**1339 d. 13 Febr.**

**Skara.**

Konung MAGNUS öfverenskommer med Ivar Ogmundsson, Sigurd Hafthorsson, Peter Olofsson, Arne Andersson och Alf Petersson: 1:o Att fred skall vara å ömse sidor intill d. 8 Sept.; — 2:o Att Konungen skall d. 15 Aug. infinna sig på Bohus samt Ivar och Sigurd i Konghäll, för att bilägga alla deras tvister; — 3:o Att Ivar och Sigurd under tiden icke skola bygga några fästen eller angripa Konungens inkomster i Norge; — 4:o Att Sigurd inom 15:de dagen efter nämnde freds uppgörelse skall återlemna Akersborgs slott m. m.; hvilken öfverenskommelse af Knut Jonsson m. fl. Svenska Rådsherrar bekräftas. (Jfr N:o 3413).

Mscr. Barthol. på Univ. Bibl. i Köpenh. Tom. IV (E) p. 754. \*)

MAGNUS Dei gracia Rex Swechie Norwegie et Skanie, omnibus presentibus litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam, Notum facimus per presentes, quod anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup>. IX<sup>o</sup>. sabbato proximo post diem cinerum, in ciuitate Skarensi, inter nos ex una parte, et nobiles viros Dominum Ivarum Oghmundason, Sighwardum Hafthorsson, Petrum Olafsson, Arnonem Andresson, et Alverum Petersson, ex altera, super inimiciis et

\*) Ur en gammal Codex membran. Bergensis, förstörd vid eldsvådan, i Köpenhamn 1728.

dissencionibus inter nos ortis, in modum, qui sequitur, exstitit placitatum, In primis quidem tam nos pro parte nostra, quam predictus Sighvardus pro se, domino Jvaro, et sociis eorum predictis, hinc inde promisimus bona fide, quod inter nos et homines nostros, ac dominum Jvarum Sighvardum et socios eorum predictos, et eorum quemlibet ac famulos ipsorum, usque ad festum natiuitatis beate virginis venturum proximo, secura pax et firma securitas debet inuiolabiliter obseruari, Nosque ad Castrum nostrum Baghahus, iidem vero dominus Jvarus et Sighurdus, ad villam nostram Konongiella in festo assumptionis eiusdem beate virginis instante ex nunc proximum, personaliter veniemus, gracia placitandi et finem faciendi de inimiciciis et dissencionibus supradictis, procuraturi interim, tam nos pro posse nostro, quam Sighurdus predictus, quod omnes et singuli consiliarii nostri, ac alii magis precipui, tam clerici quam laici, de regno nostro Norvegie, gracia placitacionis predictae conuenient, et tunc idem promisit insuper Sighurdus, quod Dominus Jvarus, vel ipse, nulla interim castra, fortalitia vel propugnacula, nullasue municiones in Regno nostro eodem, alicubi edificabunt aut erigent, nec alios nostros redditus in Regno eodem alicualiter occupabunt, promisit etiam idem Sighurdus fide bona, quod ante separacionem nostram et ipsius protunc, castrum nostrum Akærsborgh, quod hactenus occupauerat et occupat, absque difficultate et impedimento quolibet in manus nostras libere resignabit, assignaturus castrum idem infra quindenam a fine placitacionis eiusdem, alicui de regno nostro Norvegie predicto oriundo, cui nobis et consiliariis nostris ibidem, vel maiori parti ipsorum, videbitur expedire, exceptis duntaxat Dominis Findone Oghmundason et Jvaro Oghmundason ac Sighurdo predictis. promisit preterea Sighurdus prefatus, quod per ipsum vel Dominum Jvarum, aut alium quempiam volentem vel facere vel omittere aliquid propter ipsos vel eorum alterum, circa Castrum ipsum infra unum mensem post tradicionem eiusdem, nulla fiet fraus vel violencia committetur. Nos insuper Kanutus Jonsson Osgocie, Kanutus Magnusson Vesgocie, Gytstavus Tunason Vermalandie, Ulpho Guthmaarsson Næricie, Legiferi, Nicholaus Abiorsson, Kanutus Folkason, Karolus Neskonongson, Vlpho Abiorsson, Gyslo Elineson et Karolus Tukason, Consiliarii Domini nostri Regis predicti, vna cum ipso pro predictis omnibus et singulis, promissionem suam tangentibus, inuiolabiliter obseruandis promittimus bona fide, In cuius nostre promissionis testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum et actum Anno die et loco supradictis.